

Daedalus intereā Crētēn longumque perōsus 183 _____

exilium tactusque locī nātālis amōre _____

clausus erat pelagō. 'terrās licet' inquit 'et undās 185 _____

obstruat, at caelum certē patet; ībimus illāc: _____

omnia possideat, nōn possidet āera Mīnōs. _____

dīxit et ignōtās animum dimittit in artēs _____

nātūramque novat. nam pōnit in ōrdine pennās _____

ā minimā coeptās, longam breviōre sequentī, 190 _____

ut clīvō crēvisse putēs: sīc rūstica quondam _____

fistula disparibus paulātīm surgit avēnīs; _____

tum līnō mediās et cērīs alligat īmās _____

atque ita compositās parvō curvāmine flectit _____

ut vērās imitētur avēs. Puer Īcarus ūnā 195 _____

stābat et, ignārus sua sē tractāre perīcla, _____

ōre renīdentī modo, quās vaga mōverat aura, _____

captābat plūmās, flāvam modo pollice cēram _____

mollībat, lūsūque suō mīrābile patris _____

impediēbat opus. postquam manus ultima coeptō 200 _____

imposita est, geminās opifex lībrāvit in ālās _____

ipse suum corpus mōtāque pependit in aurā; _____

īnstruit et nātum 'mediō' que 'ut līmite currās, _____

Īcare,' ait 'moneō, nē, sī dēmissior ībis, _____

unda gravet pennās, si celsior, ignis adūrat: 205 _____

inter utrumque volā. nec tē spectāre Boōtēn _____

aut Helicēn iubeō strīctumque Ōrionis ēnsem: _____

mē duce carpe viam!' pariter praecepta volandī _____

trādīt et ignōtās umerīs accommodat ālās. _____

inter opus monitūsque genae maduēre senīlēs, 210 _____

et patriae tremuēre manūs; dedit oscula nātō _____

nōn iterum repetenda suō, pennīsque levātus _____

ante volat comitīque timet, velut āles, ab altō _____

quae teneram prōlem prōdūxit in āera nīdō, _____

hortāturque sequī damnōsāsque ērudīt artēs 215 _____

et movet ipse suās et nātī respicit ālās. _____

hōs aliquis, tremulā dum captat harundine piscēs, _____

plow leaning
aut pastor baculō stīvāve innīxus arātor _____

vīdit et obstipuit, quique aethera carpere possent, _____

crēdidit esse deōs. et iam Iūnōnia laevā 220 _____

parte Samos (fuerant Dēlosque Parosque relictæ) _____

dextra Lebinthos erat fecundaque melle Calymne, _____

cum puer audācī coepit gaudēre volātū _____

dēseruitque ducem, caelīque cupīdine tractus _____

altius ēgit iter. rapidī vīcīnia sōlis 225 _____

mollit odōrātās, pennārum vincula, cērās; _____

tābuerant cērae: nūdōs quatit ille lacertōs, _____

remigiōque carēns non ūllās percipit aurās, _____

ōraque caeruleā patrium clāmantia nōmen _____

excipiuntur aquā, quae nōmen trāxit ab illō. 230 _____

at pater īnfēlīx, nec iam pater, 'Īcare,' dīxit, _____

'Īcare,' dīxit 'ubi es? quā tē regiōne requīram?' _____

'Īcare' dīcēbat. pennās aspēxit in undīs _____

dēvōvitque suās artēs corpusque sepulcrō _____

condidit, et tellūs ā nōmine dicta sepultī. 235 _____